D. D.

ADAGIA THEOCRITEA

Dissertatione Academica
breviter illustrata.

Quam,
Consensu Amplissimi Ordinis Philosoph.
In Regia Academia Upsaliensi,
Præside

MAG. JOHANNE FLODERO

Græc. Ling. Prof. Reg. & Ord.

Publico Examini Subjicit,

PETRUS HULTMAN,

Sudermannus.

In Audit. Carol. Maj. D. V. Decemb. MDCCLXX.

H. A. M. S.

Upsaliae,
Apud JOH. EDMAN, Reg. Acad. Typogr.

S:æ R:æ M:tis
SUMMÆ FIDEI VIRO,
ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
COMITI AC DOMINO,

D:NO GEORGIO GYLLENSTIERNA,

REGIS REGNIQUE SVECIÆ
SENATORI,
REGIÆ ORDINIS DE STELLA POLARI
EQUITI AC COMMENDATORI
SPLENDIDISSIMO.

MÆCENATI SUMMO.

Patiaris, CELSISSIME COMES, submisse rogo, ut hic ingenii fœtus, in publicum prodeat, SPLENDIDISSIMO TUO dicatus NOMINI; quem, ad ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ li-
mina

mina deponere non ſuſtinuiſſem, niſi admirandæ prorſus Comitatis TUÆ exemplum & incomparabilis gratia, qua Patrem meum amplecti dignatus fuiſti, animo adjeciſſet fiduciam, TE placidiſſimo vultu filii juveniles auſus fore excepturum. Quum autem vel hoc potiſſimum nomine, devotiſſimam mentem meam, æternumque obſequium, TIBI EXCELLENTISSIME HEROS, teſtatum reddere liceat, calidiſſimas inſuper preces pro TUO perenni flore, ſalute atque incolumitate, dum anima ſpirabit mea, numquam fundere deſinam.

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ

cultor ac cliens devotiſſimus
PETRUS HULTMAN.

KONGL. MAJESTETS. TROMAN.
Och.
COMMERCE-RÅD.
Vålborne.

HERR ANDERS von PLOMGREN.

Tillåt.
Vålborne. Herre.
At. Jag.
Af.
Edert. Namn.
Lånar. Ljus.
Åt.
Deſſa. Blad.
Som. Åt. Eder.
Helgas.
Til.
En. Liten. Erkänſla.
För.
Mycken. Gunſt.
Almagtens. Hand.
Kröne. Edra. Dagar.
Med.
All. Sällhet.
Och.
Göre. Eder. Lefnad.
Så Nögd.
Som.
Det. Önſkar.
Eder.
Ödmjukaſte. Tjänare.
PEHR. HULTMAN.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REGIS REGNIQUE COLLEGII,
QUOD COMMERCIA REGNI CURAT
CONSILIARIO,
GENOROSO DOMINO

ERICO BRANDER,

PATRONO OPTIMO.

Magne Vir, *Arctoos inter Clarissime Vates*
Carmine Cui *grandi Musa placere dedit*,
Si vacat atque aliis juvat interponere curis
Otia, deliciis non inhonora Tuis
Da faciles aditus levibus, precor, hisce pagellis,
Quas ego devota nuncupo mente Tibi.
Namque Syracusii, multum celebrata Poëtæ
Svavia scita ferunt & sine felle sales
Sint licet incomtæ, forsan gravitasque nitorque,
Materiæ placeat nobilitasque tamen.
Si faveas, nostro semper laudaberis ore,
Pars erit & voti nulla caduca mei,
Atque Tui *meriti*, Vir Magne, *nec immemor unqam*
Grates devotò pectore semper agam.

PATRONI OPTIMI

cliens & cultor humillimus
PETRUS HULTMAN.

Kyrkoherden

Vid Bålinge och Tyſtberga Förſamlingar

Högärevördige och Höglärde

Herr Mag. PEHR HULTMAN

Min Huldaſte Fader!

Det är för Edra fötter, Min Far, jag kommer at nedlägga et arbete, ſom jag tror koſtat Eder möſt. Eder prisvärda gunſt, och faderliga förſorg får jag tilſkrifva, at det nu kan viſa ſig i dagsljuſet. Det är dock ej förſta gången ſom Eder ogemena godhet bringar mig at häpna; ack nej: Så många tuſende ſynnerliga välgärningar, dem jag, alt ifrån ſpädaſte åren, undfådt af Eder Hand, öfvertyga mig nogſamt at denna ej är den endaſte. Den dagen har ännu intet uppklarnat, ſom icke kan vittna härom, och ingen natt har hittils öfverdragit jorden med ſå dunckla ſkuggor, at jag icke ſedt min Fars goda hjertelag emot mig, med de lifligaſte färgor viſa ſig. Med et ord; Eder bevågenhet har varit ſå ſtor och Eder Kärlek ſå outtröttelig, at en Ciceronianiſk vältalighet icke ſkulle förmå afſkildra och beſkrifva det, än mindre lärer min penna vara förmögen därtil, ſom ſtyres af en ſå ſvag hand.

Upptag nu ej ogunſtigt, Min Far, det offer jag gör Eder i dag, medelſt förſtlingen af mina Academiſka Studier; det är den enda erkäntſla jag kan viſa, utom at ſtädſe röka på det altare jag Eder i mitt hjerta upreſt. Himmelen göre Eder annalkande ålderdom lik de glada ungdoms åren; han låte Edra återſtående dagar uppfyllas med ſå mycken förnöjelſe, ſom deſsa ſednare varit beſvärlige och tårefulle. Komme den dagen ſent, då Eder Lefnads Sol undangömmer ſina ſtrålor, då Edra Åhörare nödgas ſakna en nitälſkande Lärare och jag en huld Fader!!!

Frambärdande under trägnaſte böner til allmagten För Eder beſtändiga välgång, ſkal jag hålla för den ſtörſta ära at ſtädſe kallas

Min Huldaſte Faders

lydigſte Son

PEHR HULTMAN



D. D.

§. I.



Ut, prius quam ad Paræmias Theocriteas explanandas adgrediamur, ſolicite perquiramus, qui fines diſterminent Proverbia ab Adagiis, hoc minus neceſſarium ducimus, quod hæc res egregie pertractata eſt, in elegantiſſima Diſputatione, quæ haut ita pridem prodiit, de *Adagiis Sviogothicis.* E re ergo noſtra fuerit tantum veniam petere, ſicubi deprehendamur tranſiliiſſe limites, quos poſuere Viri eruditiſſimi, inter res, diſcretas quidem, ſed quodam tamen cognationis vinculo junctas, atque huc referamus celebre quodque dictum vulgoque jactatum, atque ſcita quapiam novitate inſigne, ſive ad Adagii ſive Proverbii naturam accedere videatur. Neque in limine ipſo diſſimulandum eſſe putamus, animum nobis hautquaquam fuiſſe, in ſua genera & claſſes digerere dicta παροιμιώδη, quæ, ut aurum purpuræ, ita Theocriti Idylliis ſparſim inſeruntur, ut quodque legentibus ſeſe obtulit, ita illud, quemadmodum temporis ac virium ratio permiſerit, illuſtrabimus.

§. II.

Ἀπάγξασθαί με ποιήσεις
Id. III. v. 9.

In principio Comi illius, qui isthoc idyllio sistitur, hoc querulo carmine Amaryllidis ostium obstrepit Caprarius:

> - - - ἤ ῥά με μισεῖς;
> Ἠρά γε τοι σιμὸς καταφαίνομαι ἐγγύθεν ἦμεν,
> Νύμφα, καὶ προγένειος; ἀπάγξασθαί με ποιήσεις!

Ubi τὸ ἀπάγξασθαι vocem esse proverbialem existimavero, usurpari tum demum solitam, quum, salutem esse deploratam, indicare voluerunt: ita enim loquitur, LUCIANUS ἀπέσωσας ὦ πάμφυλε, ἀπηγξάμην γὰρ ἄν, εἴ τι τοιοῦτο ἐγένετο. i. e. *beasti me, O Pamphile, suspenderem enim me*, hoc est, interiissem funditus, actum de me esset, *si quid ejusmodi accideret.* Quomodo etiam, Pamphilus Terentianus, indicaturus Patris verba, quibus odiosas ipsi nuptias imperaverat, ad desperationem, sibi injiciendam, composita fuisse, loquitur *a)*: *id mihi visus est dicere, abi domum & suspende te.* Id, quod Comicus videtur ex PLAUTI *Pœnulo* transtulisse: ibi enim *Agorastocles*, ad Milphionem servum, iisdem utitur verbis. *Abi*, inquit, *b) domum & suspende te*, atque inferius paulo, *ausculta mihi modo & suspende te.* Neque nobis familiari loquendi ratione alienum est, si cui res minus ex voto cedant, dicere, diffidentis & de se desperantis animi ægritudinem illum ad voluntarium suspendium adigere. Ceterum vero non mihi est dubium, quin elegantiam illam Theocriteam imitatus sit VIRGILIUS, ubi inducit *Corydonem*, delusos Alexidis amores hoc miserabili carmine deflentem *c)*:

> *Nil nostri miserere: mori me denique cogis.*

§. III.

a) Andr. Act. I. scol. 5. v. 20. b) Act. sc. 2. c) Eclog. II. 7.

§. III.

Κεισεῦμαι δὲ πεσών
Id. III. v. 53.

Quum amatorio Carmine ante fores sibi dilectæ Veneris modulato nihil se proficere cerneret κωμάζων Juvenis, his canendi finem facit verbis:

- - - οὐκέτ' ἀείδω.
Κεισεῦμαι δὲ πεσών - - -

i. e. non amplius canam. Jacebo stratus. Quæ verba non alio spectare dicunt interpretum nonnulli, nisi ut indicetur, velle Juvenem, humi stratum, ad quietem componere defessa membra. At, haut quidem sine ratione, monuit HEINSIUS *d*), solenne fuisse τοῖς κωμάζουσιν, quum petulanti carmine surdas pulsavissent vilium prostibulorum fores, ferro flammaque minitari ædibus, at qui modestiores videri volebant esse, nec cum scortis rem habebant, ubi puellam viderunt, nullis victam blanditiis se admittere, exclamavisse, πεσών γε κείσομαι, innuentes conclamatum esse, & concitum a repulsa dolorem sponte arcessita morte leniendum esse: ut adeo, hac proverbiali loquendi forma, nihil ferme aliud significetur, nisi verbis istis, quibus in principio Comi hujus desperationis indicium peregit Caprarius, ἀπάγξασθαί με ποιήσεις. Esse autem in ῥήσει ista aliquid παροιμιῶδες, vel inde etiam confeceris, quod in aliorum scriptis Græcorum, eodem usurpata sensu, non raro occurrit. ARISTOPHANES, e. g. quem constat in deliciis habere loquendi formas vulgi sermone celebratas, ubi juvenem inducit puellæ cujusdam amore furentem, hæc ipsi dat verba fundenda *e*):

 - - - δεῦρο

d) *Emend. & not. ad THEOCRIT.* *e*) ἐκκλησιάζ. v. 956.

- - - δεῦρο δή· δεῦρο καὶ σύ μοι
Καταδραμοῦσα τὴν θύραν ἄνοιξον
Τήνδ'· εἰ δὲ μή, καταπεσὼν κείσομαι.

i. e. *age nunc, Tu, adcurre & aperi januam hanc, sin minus, stratus jacebo*: quasi dicat: ni fores amanti mihi aperiantur, reque ipse potiar amata, conclamatum est: præ doloris impatientia morior. Eadem etjam verba usurpat ejusdem Comici *Strepsiades f*), quum videret se, nec precibus nec minis, permovere filium suum posse, ut oratoriæ artis perdiscendæ caussa, se in Philosophorum traderet disciplinam. Dicit autem:

Ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ μέν τοι πεσών γε κείσομαι
Ἀλλ' εὐξάμενος τοῖς Θεοῖς διδάξομαι.

Quæ verba huc valent: etsi, quam in tua ope collocavi, spes me fefellit, non animum tamen despondebo, aut meis desperabo fortunis; ipse enim, Diis juvantibus, Socratis Magisterio me tradam, eaque discam, quorum adminiculo ex prementibus me malis emergam.

§. IV.

Μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ;
Idyll. IV. 16.

Inter Pastoritia jurgia, quibus se invicem lacessunt *Corydon* & *Battus*, exprobrat hic illi & objicit maciem, qua una vitularum ejus deformis esset:

Τήνας, inquit, μὲν δή τοι τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται
Τὠστέα. Μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ;

i. e. *Huic quidem Vitulæ ipsa tantum reliqua sunt ossa: numquid hæc rore victitat, sicut Cicada?* Ubi πρῶκας σιτίζεσθαι æque ac ἀέρι καὶ δρόσῳ σιτεῖσθαι apud PLUTARCHUM *g*), proverbiali forma, de illis usurpatur, qui frugali ad-

f) Νεφελ. v. 126. g) Sympos. LIV. Qu. 1.

admodum & pertenui victu utuntur, supremaque macie confecti sunt: quomodo PHILO dicit, Judæos Philosophos, quod vitam famelicam ducerent, ἀέρι τρέφεσθαι, ὥσπερ φασὶ τὸ τῶν τεττίγων γένος, aëre vesci, quemadmodum Cicadæ solent. Cicadas enim habere in pectore quiddam aculeatum, qno rorem lambant, qui ipsis sit nutrimento, auctor est PLINIUS *b*): Unde Virgilianum illud *i*)

Dumque thymo pascentur apes, dum rore Cicadæ.

§. V.

Ὗς ποτ' Ἀθαναίαν

Idyl. V. v. 23.

Quum Lacon Thecoriteus ad Musicum certamen ineundum provocaret Comatem, excipit hic ilium isthoc Bucolico scommate

Ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤριστεν - -

I. e. *Sus contra Minervam certamen suscipit.* Quod Proverbii loco frequentari solet, quoties indocti ac stolidi non verentur in rei literariæ certamen descendere cum viris excellentissimis, seque cum his conferre atque æquare. Quemadmodum huic adfine adagium, Ὗς τὴν Ἀθηνᾶν, *Sus Minervam*, sc. docet vel monet, frequentari de illis solet, qui, quum rudes sint ipsi atque insulsi, alios tamen docere non erubescunt. Ut enim suum genere animal nullum magis brutum esse putatur ac indocile; ita aptissimum visum fuit antiquioribus, in quo stupidorum imago hominum conspicienda offerretur: unde veustissimum Adagium Βοιωτία ὗς, *Bœotica sus*, in homines indoctos jaci solitum fuisse indicat PINDARUS *k*)

Γνῶναι τ', inquit, ἔπειτ' ἀρχαῖον ὄνειδος, ἀλα -
Θέσι λόγοις εἰ φεύγομεν, βοιωτίαν
Ὗν - - -

b) *Hist. Natur. L. XVI. c. 36.* *i*) *Eclog. V. v. 77.*
k) *Olymp. od. VI.*

Admonet heic chorodidaſcalum, ita curet ſuum hymnum canendum, ut effugiat vetus illud probrum, quod dici in ſtupidos ſveverit, Βοιωτία ῟Υς. Cujus Adagii originem inde repetit SCHOLIASTES, quod antiquiſſimi Bœotiæ incolæ, barbara gens & agreſtis, ὕαντες dicti, corrupto vocabulo, a vicinis vocati ſunt ὕες pro ὕαντες, quod ſcomma deinde ceſſerit in proverbium, de quibusvis uſurpatum, qui ſtupido eſſent & bruto ingenio. Utcumque vero iſta exiſtimata erunt, manifeſtum tamen eſt, primos auctores proverbiorum, ὗς ποτ' Ἀθηνάιαν, & ὗς τὴν Ἀθηνᾶν, indicare voluiſſe, indoctos homines & rudes non minorem mereri riſum, ſi ingenii certamen cum doctiſſimis inſtituere ſuſtinuerint, quam ſi ſus cum Minerva, ſcientiarum Præſide, contenderet. Ceterum vero, eorum dementiam, qui impares cum ſuperiori certare audent, aut negotium faceſſunt ſe longe ſuperioribus, comparatione aliquantum honeſtiori, exhibent alia a Bucolico noſtro frequentata adagia: quale eſt, Σφὰξ βομβῶν τέττιγος ἐναντίον, *veſpa ſtrepens contra cicadem* Idyl. V. 29. Et ἐ θεμιτὸν - ποτ' ἀήδονα κίσσας ἐρίσδεν, ἐδ' ἔποπας κύκνοισι: *Non fas eſt picas certare cum luſciniis, neque Upupas cum Cygnis* Idyll. V. 136. ac denique, βάτραχος δὲ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω. *Velut rana quædam contra Cicadas contendo. Idyll. VII. 41.*

§. VI.

ἐ πυρὶ θάλπεαι.
Id. V. 31.

In Hodœporis iisdem, unde antecedens adagium depromtum eſt, ſiſtitur *Comates* acrius inſtans *Laconi*, ut ad Poëticum certamen ſe, ſine mora, accingeret. Hoc indigne ferens *Lacon*, his eum verbis retundit:

Μὴ σπεῦδ' ἐ γάρ τοι πυρ θάλπεαι,

Ne feſtina neque enim igne ureris. In quibus verbis par-

œmiam agnoſcit SCHOLIASTES: παροιμία, inquit, ἐςὶν ἐπὶ τῶν διά τι σπευδομένων. Ut enim, ſi quis latentem in ſinu ignem foveat, aut quomodocunque uratur, quam fieri poteſt celerrime eum ſibi excutit, atque ex loco, qui cauſſam præbeat doloris, ſe repente corripit, ita communi proverbio, nec nobis familiari loquendi ratione abnuente, dicitur is πυρὶ θάλπεσθαι, *igne uri*, qui longiorem in loco aliquo moram non ferens, ſimulatque eo venit, illico ſibi diſcedendum eſſe indicat, vel qui, præcipiti feſtinatione, rem quamcunque adgreditur & abſolvit.

§. VII.

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι
Id. V. 38.

HEINSIUS *l*) ut alias paſſim in Theocriteo Carmine obſervavit elegantias, ab aliis non animadverſas, ita heic, quem conſentiens vulgatorum exemplarium auctoritas confirmaverat, errorem detexit, permultum, ut ipſe, nec id quidem ſine ratione, putavit, officientem Veneri, quam Bucolicus vates ubique ſectatur: τὸ καὶ enim, nulli heic uſui futurum, mutandum cenſuit in obteſtationis & obſecrationis indicem particulam ναὶ, ut locus hic ſimilis fiat illi *Nonniano m*):

Βασσαρίδες ναὶ δεῦρο χορεύσατε - -

Baſſarides quæſo ſaltate. Illum ergo ſi audiendum putas, ita legas verba hæc:

Θρέψαι ναὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι

i. e. *Nutri, quaeſo, lupos, nutri canes, ut te devorent.* Sunt autem *Comatæ* verba ad *Lyconem*, quibus ingrati animi crimen illi objicit, quod, quum pueritiam ejus literarum morumque præceptis formaſſet, nunc tamen, illius immemor

l) *Emend ex not. Theocrit.* *m*) *Dionyſ. LXVII. v. 267.*

memor beneficii, injuria se lacessere non verecundaretur. Et est quidem proverbiale dictum in illos, qui læduntur ab illis, de quibus bene meriti sunt, quomodo SOCRATES, ut refert SCHOLIASTES, exponit: *κακὲς ποιῶν εὖ θρέψαι λύκες*, *malis faciens bene, nutrit lupos.* Ut enim luporum catuli nulla facile educatione mansvescunt, sed liberum nacti campum redeunt ad ingenium, atque in Domini sui greges exercent rabiem, ita quibus mala mens est, maleficia rependunt pro beneficiis, ut THEOGNIS *canit n*):

Δειλὲς δ' εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐςι.

Neque sunt id genus homines absimiles Actæonis canibus, qui sævis morsibus suum Dominum dilaceraverunt: quam fabulam SCHOLIASTES THEOCRITI existimat locum dedisse proverbio, quo ingrati homines conferuntur, non cum lupis tantum, verum etiam cum canibus

§. VIII.

Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις

Idyll. V. 121.

Misere hic locus acceptus est a Græco interprete; ita enim illum exponit: *ἄξιος*, inquit, *ἐι*, *μᾶλλον ἀπελθεῖν ἐις τὰ μνημεῖα, καὶ τὰς γεγραιωμένας καὶ παλαιὰς καὶ ξηρὰς σκίλλας τίλλειν, ἤπερ ἐμὸι ἐρίζειν· ἄυται γαρ παντελῶς ἄχρηςόι ἐισι.* Quasi indicaret *Comates*, non majori usui atque honori fore *Laconi* pastoritium istud certamen, quam si inutilem herbam, scillam, ex fœtidis velleret sepulcris. Verum, si curatius pensitentur antecedentia verba, quorum nec Latinus interpres nec Græcus Scholiastes verum adsecuti sensum videntur, alio hanc sententiam spectare adparebit; Scilicet, quum *Comates* acerbioribus cavillis pupugisset *Laconem*, convertit se ad *Morsonem*,

---

n) *v. 110.*

ſonom, quem Certaminis arbitrum ſelegerant, his verbis:

Ἤδη τις, Μόρσων, πικραίνεται· οὐχὶ παρῄσθευ;

Ubi primo omnium obſervandum eſt, non ſatis ab interpretibus intellectam fuiſſe elegantiam Doricam, in vocula, τις, latitantem; perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, ἤδη Λάκων πικραίνεται, *jam o Morſon exacerbatur Lacon.* Quomodo hic in verſu ſequenti loquitur: Κἠγὼ μὲν κνίσδω, Μόρσων, τινά, ubi κνίσδω τινα idem eſt ac κνίσδω Κομάτην, & *ego*, *O Morſon*, *pungo Comaten.* Deinde in eo hallucinatur Græcus interpres, quod τὸ παρῄσθευ, exponit per ἐνόησας, atque referendum eſſe ad *Morſonem* putat, ad quem antecedentia diriguntur verba; quaſi totius verſiculi hic foret ſenſus: *O Morſon*, *jam aliquis*, h. e. *Lacon*, *irritatur; nonne tu*, *Morſon*, *hoc ſenſiſti?* Sed qui ita exponit, τὸ παρῄσθευ, is ipſe παραισθάνεσθαι videtur. Idem enim intereſt inter ſimplex αἰσθάνεσθαι & Compoſitum παραισθάνεσθαι, ac inter φρονεῖν & παραφρονεῖν, ἀκούειν & παρακούειν, ὁρᾶν & παρορᾶν. Φρονεῖν eſt ſapere, at παραφρονεῖν deſipere, delirare: ἀκούειν eſt audire, at παρακούειν oſcitanter ac negligenter audire: ὁρᾶν eſt videre, at παρορᾶν hallucinari: itaque, ut αἰσθάνεσθαι eſt ſentire, intelligere, ita παραισθάνεσθαι erit ſenſu falli, non ſatis compotem eſſe ſenſus: unde PLATO *n*) ἐκ παραλλήλου ponit, παρακούειν, παρορᾶν & παραισθάνεσθαι. De cetero non recte mihi facere videntur illi, qui τὸ παρῄσθευ referunt ad *Morſonem*, quum Comates heic referre ſermonem videatur ad *Laconem*, Antagoniſtam: ita ut, poſtquam Morſoni dixit, ἤδη τις πικραίνεται, ſe convertat mox ad ſuum adverſarium his verbis: οὐχὶ παρῄσθευ; *nonne tu o Lacon inſanis?* quibus hæc ſubjungit

Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις.

B quaſi

n) in *Thæeteto.*

quaſi dicat: quum ſentiam te παραισθάνεσθαι, *ſenſu falli*, *inſanire*, ſvadeo tibi, ut ſcillas vellas e ſepulcris, quibus inſania mentem purges. Scillam enim, herbam, vim habere purgandi cerebrum, tradiderunt rerum naturalium ſcriptores, DIOSCORIDES, PLINIUS aliique. Atque ideo τὸ, σκίλλας τίλλοις, eodem ſenſu dicitur, ac ab ARISTOPHANE o) τὸ πῖθ' ἐλλέβορον, *bibe Helleborum*: nam qui parum animo conſtabant, dicebantur ἐλλεβόρου δεῖσθαι, opus habere Helleboro, utpote quod etiam efficaciſſimum eſſe putaverint ad levanda mentis & capitis vitia: id quod manifeſtum eſt ex his *Menippi* verbis apud LUCIANUM p): ληρεῖς, ὦ Τάνταλε, καὶ ὡς ἀληθῶς πότου δεῖσθαι δοκεῖς, ἀκράτου γε ἐλλεβόρου νὴ Δία. Neque dubium mihi eſt, quin eodem ſpectent Laconis verba hæcce:

Ενθὼν τὰν κυκλάμινον ὄρυσσέ νιν ἐς τὸν Αλεντα.

Profectus ad Halenta inde Cyclaminum effodias, quibus reſpondet Comatæ, ipſum jubenti ſcillas vellere: Cyclaminon eſſe efficacem detrahendo e capite phlegmati, tradit DIOSCORIDES. Ut adeo hoc dicat Lacon: non eſt, quod jubeas me ſcillas petere, quaſi inſanirem, nam ſi quis alius, tu certe inſanis, atque adeo Cyclaminon petas ex Halente fluvio, quo, ſi quidem fieri queat, cerebrum purges.

§. IX.

χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι.

Idyll. X. 11.

Siſtuntur in hoc Idyllio *Milon* & *Battus*, ſermones invicem, inter metendum, miſcentes de amore, quo ſe Battus ardere fatebatur. Prius vero quam illum laboris ſocio aperiat, quærit, an illi accidiſſet unquam, ut abſentis cuiusquam deſiderio angeretur: reſpondet Milon:

οὐδαι

---

o) *in reſpis.* p) *Dialog. Menipp. & Tantali.*

Ουδαμὰ, τὶς δὲ πόθος τῶν ἔκτοθεν ἐργάτᾳ ἀνδρὶ·

i. e. neutiquam ego quidem hujuſcemodi deſiderium ſenſi: quo enim exterorum deſiderio teneri poteſt operarius? Hinc pergit *Battus* ulterius ſciſcitando:

Ουδαμὰ νῦν συνέβα τοι ἀγρυπνῆσαι δι᾽ ἔρωτα;

nunquamne tibi evenit vigilare propter amorem? ad quæ *Milon* reſpondet.

Μηδὲ ξυμβάιη. Χαλεπὸν χορίων κύνα γεῦσαι.

Neque accidat. Periculoſum eſt exta guſtare canem. In quibus verbis parœmia eſt, quam SCHOLIASTES ait etiam hoc modo efferri conſuevisse: *χαλεπὸν μαθοῦσα κύων σκυτοτραγεῖν*, i.e. *canis, quæ didicit adrodere coria, res eſt periculoſa.* Quam ſententiam HORATIUS *q*) adcommodat ad oſtendendum, quæ vis ſit vitii ſemel guſtatæ illecebræ:

> *Sic tibi*, inquit, *Penelope frugi eſt: quæ ſi ſemel uno*
> *De ſene guſtavit, tecum partita lucellum,*
> *Ut Canis a corio nunquam abſterrebitur uncto.*

Neque aliud indicatum voluit *Milon Theocriteus*, niſi primum amoris experimentum eſſe periculoſiſſimum, & qui ſemel Veneris illecebras deguſtaverit, illi tam difficile eſſe a peccando temperare, quam difficulter poteſt canis abſterreri a corio vel inteſtinis, ſi ſemel ea guſtare contigerit.

§. X.

Ἐκ πίθω ἀντλεῖς

Idyll. X. v. 18.

Poſteaquam *Battus*, in Ἐργατίναις THEOCRITI, aperu-

q) *Sat. V, L. v. 31.*

peruerat *Miloni* amorem ſuum, ſalſe ridet hic ejus veſaniam, non illepida ironia dicens: ἐκ πίθω ἀντλεῖς δῆλον, *e dolio tu ſcilicet bauris.* Fſt dolium vinarium vas capacius, unde largius haurire vinum liceat, ita ut non facile ſentiatur detrimentum: cujus generis vaſa divitum erat habere, quum illi contra, qui in re eſſent minus lauta, hauſtam parvis lagenis vappam bibere cogerentur. Hinc natum adagium, ἐκ πίθε ἀντλεῖν, de illis uſurpari ſvevit, qui benigna abundant rerum copia. Et quidem hunc eſſe proverbialis ſententiæ hujus ſenſum, inſuper etiam docebit vates noſter: nam τῷ ἀντλεῖν ἐκ πίθε opponit τὸ, ἐκ ἔχειν ἅλις ὄξος, *non ſatis babere aceti:* ſale & aceto vivere dicebantur, qui, ob paupertatem, parco & tenui cibo contenti eſſe cogebantur. Atque adeo huc ferme ſpectant meſſoris verba: non equidem miror te amori deditum eſſe, quum abundantiſſima tibi ſuppetat rerum copia, ut facile carere poſſis labore, qui alioquin in res neceſſarias parandas eſſet inſumendus, atque ideo ad tales ineptias vaces: quod vero ad me pertinet, ἐδ' ἅλις ὄξος ἔχω, ne acetum quidem habeo, quod ſufficiat, &, quod inde ſequitur, *neceſſario* labori nihil ſupereſt temporis, quod Veneri ſacretur.

§. XII.

Μάντις τοι τὰν νύκτα χροΐξεται ἁ καλαμάια.

Idyll. X. 18.

Puellæ iſtius amorem, quo ſe ardere dixerat *Battus*, improbat & ridet *Milon* hoc verſu:

Μάντις τοι τὰν νύκτα χροΐξεται ἁ καλαμάια.

i. e. *Vates ſtipularis tibi de nocte adcubabit.* SCHOLIASTES obſervat ſcriptum in quibusdam Codicibus fuiſſe χροιξεῖται, rectius forte, χροΐξεῖθ', quum id metri leges exigant: & eſt χροϊξεῖται doricum pro χροΐσεται. Neque inepte exponit

Græ-

Græcus interpres id per συγχρωτισθήσεται καὶ συγκοιμηθήσεται, nam a χρόος, cutis, deducitur χροΐζεσθαι, & usurpatur de mulieribus, quæ viris adcubant, ita ut nuda cute nudos tangant. Quod si vero quæratur, quænam sit ἡ καλαμαία μάντις, quæ Batti fuerit socia, respondebit SCHOLIASTES dicens, fuisse ἀκρίδα ἐν τῇ καλάμῃ γενομένην, *locustam in stipulis natam*, quæ dicta sit Μάντις, quod, ut SVIDAS r) ait, τίνες προσέχοντες ταῖς κινήσεσιν αὐτῆς μαντεύονται, sive, ut SCHOLIASTES exponit, ὅτι προμαντεύεται λιμὸν φαινομένη, quod, quum plurimæ nascuntur, prænuntiant eo anno difficultatem annonæ & famem. Quod vero ad speciem & naturam, hoc genus, locustarum attinet, varia memorat dictus interpres, ARISTARCHI auctoritate nixus; & quidem primo dicit valde gracili eas corpore esse & prælongos habere pedes anteriores, quos semper moveant: deinde tradit eos esse nigras, & ἐπιβλαβὲς καὶ χαλεπὸν ὁρῶσας, ita ut, si animal quodpiam inspiciant, fascinent quasi illud, & nescio quid mali isti adfricent: quo etiam accedit, quod summitates aristarum adrodunt, atque sic spem agricolarum intercipiunt. In singulis hisce animalculi proprietatibus rationem sibi videtur deprehendere, cur puella vocetur μάντις καλαμαία. Si enim respiciatur ad formam, videri possit *Milon* indicasse, fuisse illam ἰσχνὴν καὶ λεπτὴν καὶ μέλαιναν καὶ μακρόσκελον, & si attendatur ad nocendi vim, quæ locustæ competat, hæc esse possit sententia: domum duces mulierem, quæ pestis futura sit rei familiaris, eam adrosura haud aliter ac locustæ solent adrodere aristas. At si SVIDAM audiamus, alium esse parœmiæ hujus sensum inducemur ut credamus: dicit enim τὴν καλαμαίαν μάντιν, quæ etiam vocatur ἀρουραία, non aliud designare ac γραῦν σέριφον. Est autem γραῦς σέριφος, *anus*

 scripha;

r) voc. αρουραια μάντις

scripha, proverbialis locutio, usurpari solita, περὶ τῆς ἐν παρθενίᾳ γεγηρακυίας, de puella, quæ in virginitate senium contraxerit *s*). Neque ab eo dissentit HESYCHIUS: dicit enim ἀρσεραίαν ἀκρίδα εἶναι, ὑπό τίνων μάντιν λεγομένην, atque esse eandem ac γραῦν σέριφον, quæ notet τὴν ἐν τῇ παρθενίᾳ καταγεγηρακυῖαν. Quod si ita sit, consequens est, ut *Milon* lepide jocetur in *Battum*, quod vetulæ virginis amore esset correptus. Si cui vero magis placuerit prior illa expositio, qua dicitur adlusum hoc proverbio fuisse ad gracilitatem puellæ & fuscam faciem, is aliquid sibi præsidii invenisse videri possit, in carmine, quo *Battus* ipse amatam celebrat puellam: dicit enim inter alia v. 26.

- - - Σύραν καλεόντι τυ πάντες
Ισχνὰν, ἁλιόκαυστον, ἐγὼ δὲ μόνος μελίχλωρον.

i. e. *omnes vocant te Syram, gracilem & sole adustam: ego vero solus dico te esse flavam sicut mel.*

§. XII.

Θᾶσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῶ θείω Λυτίερσα.
Idyll. X. 41.

APOLLODORUM, aliosque secutus Græcus THEOCRITI interpres hæc de *Lytiersa* refert. Erat *Lytiersa* filius *Midæ* nothus, habitans Celænas Phrygiæ: qui, quum agrorum colendorum & peritissimus & studiosissimus esset, prætereuntes hospites omnes epulis primum accepit & coëgit deinde sociam sibi operam navare, in demetenda segete. Inde vero quum labore defessi sub vesperam dormirent, amputavit ilis capita, ac trunca corpora manipulis segetum illigavit. Istam viri crudelitatem

s) *L. c. item voc.* γραῦς σεριφς.

tem ultus tandem est Hercules, interfecto tyranno, & cadavere conjecto in fluvium Mæandrum. Sed sic tamen, quum laudatissimus esset messor, celebrari ab agricolis in Phrygia svevit nomen ejus solenni carmine: unde dein factum, ut *Carmen Lytiersæ* dicatur carmen messorium, sive a messoribus cantari solitum. Neque in Theocriteo hoc loco aliud designare τὰ τῶ θείω Λυτίερσα, docebit nos series & œconomia Idyllii hujus. Priorem ejus partem consumsit *Battus* amores suos cantando: ob quam mollem ejus cantilenam, salse eum perstringit *Milo* v. 40.

Ω μοι τῶ πώγωνος, ὃν ἀλιθίως ἀνέφυσας.

Quasi dicat: miseret me tui, quod, quum barbatus sis, atque ideo in iis occupari debeas curis, quæ viros deceant, adeo tamen pueriliter ludas puellulæ detentus amore: cui versiculo hunc subjungit:

Θᾶσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῶ θείω Λυτίερσα.

i. e. *vide nunc hæc divini Lytiersæ carmina.* Quasi diceret: hactenus ego commodavi aures molliusculo carmini, quo Venerem tuam celebrasti: tu nunc vicissim audies alius generis cantilenam, qualem divinus *Lytiersta* inter metendum sit modulatus. Et sunt profecto versiculi *Milonis*, qui alteram hujus odæ partem constituunt, maximam partem παρακελευστικοί, quibus messores adhortati sint mercenarios homines, ad impigre faciendum opus: atque ideo non immerito vocari possunt τὰ τῶ θείω Λυτίερσα, sc. μέλη, utpote digna, quæ ab illo, operi intento, atque, ad ejus imitationem, a gnavis messoribus omnibus cantarentur.

§. XIII.

Ἐυκτὸς ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος.
Idyll. X. 52.

Diximus §. 12 *Milonis* versiculos, qui alteram constituunt

ſtituunt decimi Idyllii partem, eſſe, maximam partem, παρακελευςικὲς, quibus ad impigram operam collocandam in ruſtico opere peragendo adhortatur laboris ſocios. Hac in parte quum aliquantum detentus fuit, inferit querimoniam de potu, juſto malignius præbito ſudantibus meſſoribus:

Ευκτὸς ὁ τῶ βατράχω, παῖδες, βίος -

O pueri, optanda eſt vita ranæ. Id vero quorſum ſpectet, confeceris ex verbis ſequentibus:

- - - ὀ μελεδαίνει,
Τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα, πάρεςι γὰρ ἄφθονον αὐτῷ

i. e. *non curat, qui potum miniſtret, abunde illi ſuppetit.* Ranis in plenis paludibus ſtagnisque degentibus aquarum affatim eſt, unde tantum, quantum libuerit, haurire liceat, nullo miniſtrante aut bibendi modum præſcribante. Dnm ergo *Milon* expetit ſibi ac ſociis *ranæ vitam*, optare videtur, ut ſiti ardentibus plenis ſe poculis proluere atque ad ſatietatem bibere liceret, nullo exiſtente moderatore, qui ipſis potum admetiretur parciſſime. Hinc patet adagium hoc, βατράχȣ βίον βιȣ̃ν, in illos convenire, qui in ipſis quaſi doliis habitantes non ad menſuram bibunt, ſed tantum, quantum cupiditates poſtulaverint: quomodo Syracuſani, apud ATHENÆUM, dicuntur πίνειν βατράχων τρόπον, bibere more ranarum, h. e. abundantiſſime.

§. XIV.

Μὴ ᾽πιτάμνης τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.
Idyl. X. 55.

Poſtquam *Milon Theocriteus* de juſto parcius ſibi, inter metendum ſudanti, miniſtrato potu queſtus eſt, vertit

vertit se ad τὸν ἐπιμελητὴν sive ἐπιςάτην τῶν θεριςῶν, ipsique exprobrat nimiam parsimoniam, quod laborantes sineret non potus tantum sed cibi etiam penuria enecari:

Κάλλιον, inquit, ὦ 'πιμελητὰ φιλάργυρε, τὼς φακὸς ἕψειν.
Μὴ 'πιτάμης τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.

Pulcrius tibi est, o Procurator avare, coquere lentes, (qui pauperum erat & tenuium cibus; unde adagium in ARISTOPHANIS *Pluto* occurrens, πλȣτῶν ἐκ ἔθ' ἥδεται φακῶν, dives factus non amplius gaudet lente.) *vide, ne manum vulneres dum Cuminum dissecas.* Κύμινον καταπρίειν, proverbiali locutione de illis dicitur, qui ob sordidam parsimoniam & nimiam frugalitatem male audiunt: est enim κύμινον admodum exile, ut qui cibo parcendo modum superant, illorum mores optime exprimantur imagine hominum, qui non integrum illud sed dissectum suis dent domesticis. Aristoteles *t*) ubi liberalitati opposita vitia, ἀσωτίαν καὶ ἀνελευθερίαν, explanat, in illorum classem, qui τῇ δόσει ἐλλείπȣσι, refert τȣ̀ς κυμινοπρίςας. *Cumini sectores*, atque addit: ὠνόμασαι δε, sc. ὁ κυμινοπρίςης, ἀπὸ τῆς ὑπερβολῆς τȣ̃ μηδενὶ ἂν δȣ̃ναι. Quod vocabulum ALEXIS apud ATHENÆUM *u*) more adjectivi usurpat:

Κατάκεισο, inquit, κἀκείνας κάλει
Συναγώγιμον ποιῶμεν· ἀλλ' εὖ οἶδ' ὅτι
Κυμινοπρίςης ὁ τρόπος ἐςί σȣ πάλαι

i. e. adcumbe & illas advoca: Cœnam Synagogimon, i. e. collatitiam, *celebramus. verum probe scio esse te moribus Cumini sectorem*, hoc est admodum tenacem, qui non libenter des aliis. Palam ergo est, *Milonem*, ubi monet τὸν ἐργοδότην, ut caveat ne manus vel digitos lædat in-

C ter

---

t) *L. IV. Eth. c. 3.* *u*) *VIII. p. 36S.*

ter dissecanda Cumini grana, admodum lepide jocari in illum, quod supra modum parce cibum præberet.

§. XV.

Ἤρατο δ᾽ ἔτι ῥόδοις, ἢ μάλοις, ἐδὲ κικίνοις.

Idyll. XI. 11.

HEINSIUS *x*) suspicatur in fine versiculi, pro κικίνοις legendum esse σελίνοις, neque id sine ratione: quis enim sit locus comis & cincinnis in pomorum societate ac rosarum, haut facile est perspectu: at apium & rosas frequentissime novimus conjungi, utpote quum utraque corollis texendis & sertis inservierint: quomodo Caprarius dicitur alias *y*) Amaryllidi suæ contexuisse sertum καλύκεσσι καὶ εὐόδμοισι σελίνοις. Legas ergo hoc modo THEOCRITI versiculum,

Ἤρατο δ᾽ ἔτι ῥόδοις, ἢ μάλοις ἐδὲ σελίνοις

i. e. *amavit non rosis, non pomis, neque apio.* Sermo est Poëtæ de Cyclope, insano Galateæ amore inflammato; atque adeo non immerito quæritur, quid sit amare rosis & pomis, quum ab ejusmodi amore abfuisse dicatur Polyphemus. Adsequeris quodammodo sensum hujusce sententiæ, si curatius pensitare libuerit, quæ LUCIANUS refert *z*), de amore *Deniæ* & *Chariclea*. *Chariclea* fœmina erat, quæ nulli non viro se prosternere sveverat: & quo illa facilius adreperet ad animum Juvenis opulentissimi, *Deniæ*, missitabat ad illum primo munera nullo cultu, rosea serta, poma ceteraque, quibus capi juvenum animi solent: γραμμάτια, inquit LUCIANUS, τε εἰσεφοίτα παρὰ τῆς γυναικὸς αὐτῷ, καὶ στέφα-

νοι

x) *Emend. & not. in THEOC.* *y*) *Idyll. III. v. 23.*
z) *Toxaris. p. 47.*

νοι ἡμιμάραντοι, καὶ μῆλά τινα ἀποδεδηγμένα καὶ ἄλλα, ὁπόσα αἱ μαστροποὶ ἐπὶ τοῖς νέοις μηχανῶνται, κατὰ μικρὸν αὐτοῖς ἐπιτεχνώμεναι τοὺς ἔρωτας. Quum vero mulier hujusce-modi beneficio munerum in sua retia illexisset incautum juvenem, sauciatus ille insanabili vulnere donis eam vicissim demereri occepit, sed multo pretiosioribus, quam quidem illa erant, quibus ipse donatus fuerat: τὰ μὲν γάρ, inquit, δῶρα, οὐ κατὰ μῆλα καὶ στεφάνους ἀντεδίδοντο αὐτῇ, i. e. *non pro malorum & corollarum pretio paria illi dona comparabantur*, (istum enim habere præp. κατὰ usum, ut accusativo casui juncta, proportioni & rerum convenientiæ designandæ inserviat, notissimum est,) donabat enim illam, ut in sequentibus dicit, συνοικίαις ὅλαις καὶ ἀγροῖς καὶ θεραπαίναις καὶ χρυσῷ· Quum ergo prima munuscula, quibus vel puellæ juvenum animos, vel hi illas tentare atque ad amorem pellicere svererant, fuerint poma, serta, & hujus genris alia, factum existimamus, ut mos iste in proverbium abierit, atque illi dicerentur ἐρᾷν ῥόδοις καὶ μάλοις, qui levius Cupidinis perstricti telis non admodum pretiose suas Veneres colerent: quum illi contra dicti sint ἐρᾷν οὐ ῥόδοις, οὐ μάλοις, qui altius impactis sagittis effusissimi in amorem essent. Confirmatur hæc explicatio inde, quod THEOCRITUS ipse τῷ ἐρᾷν ῥόδοις &c. opponit τὸ ἐρᾷν ὀλοαῖς μανίαις: non Polyphemus, inquit, amavit rosis & apio & pomis, sed ὀλοαῖς μανίαις perniciosis furiis, h. e. non erat amor ejus levis & moderatus, sed vehementissimus & furore incitatissimus.

§. XVI.

Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε· τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

Idyll. XI. 75.

Quum *Polyphemus* suam deplorasset sortem, quod sibi in amore respondere nollet *Galatea*, revocat animum in

in memoriam dementiæ suæ: fatetur stolidum se esse, qui, quum multæ essent puellæ, quæ ultro se expeterent, illis tamen rejectis eam sequeretur, quæ se aversaretur maxime: se enim ipsum affatur, ubi dicit.

Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε· τί τὸν φεύγοντα διώκεις.

i. e. *mulge præsentem, quid enim fugientem sectaris*? ut vero heic in specie parœmia ista adcommodatur ad Cyclopis amorem hoc sensu: ama, quæ te redamat & excute animo ejus amorem, quæ te fugiat; ita generatim admonet, ut quæ se cunque sors obtulerit, eam amplectamur, nec alienarum longiusque remotarum cupiditate rerum nos maceremus. Cui geminam sententiam excitat SCHOLIASTES ex HESIODI opere quodam, quod hodie desideratur:

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, τ' ἀνέτοιμα διώκει.

Stultus est, qui, relictis paratis, ea sectatur quæ parata non sunt. Neque ab ista sententia abludit celebratum illud: τὸν θέλοντα βοῦν ἔλαυνε, volentem bovem ducito.

§. XVII.

Λύκον εἶδες.

Idyll. XIV. 22.

Queritur in hoc Idyllio *Æschines* coram amico *Thyonicho* de uxore *Cynisca*, quod se contemto magis addicta esset juveni, cui *Lyco* nomen erat: Cujus illiciti amoris signa dedisset in frequenti convivio manifestissima; quum enim generoso Bacchi munere omnes diffunderent animos, sola, inquit, tristis sedit illa & muta, ut præsentium quidam, lepide in illam jocandi, locum non incommodum esse putaret:

οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες (ἔπαιξέ τις) ὡς σοφὸς εἶπεν;

Quæ quorsum valeant verba haut facile confeceris ex La-

tina

tina Metaphrasi ; ita enim redduntur: *Non loqueris? Lupum vidisti? jocatus est perinde ac solers quispiam ait.* Eo hallucinatus videtur Metaphrastes, quod τό, ἔπαιξέ τις, referendum putat ad sequentia verba, ὡς σοφὸς εἶπεν, atque hæc parum dextere explicat: Nobis persvasum est intermedia verba, ἔπαιξέ τις, parenthesi esse includenda, ut quæ sint *Æschinæ* ipsius, referentis salsum alterius jocum in conjugem suam: ut sensus fiat: quum *Cynisca* muta sederet, ἔπαιξέ τις, jocatus est quidam præsentium in illam, dicens: οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες, ὡς σοφὸς εἶπεν; *non loqueris? Lupumne vidisti, ut sapiens ait:* h. e. ut vulgo dicitur, vel, uti in proverbio est. Antiquos enim in citandis parœmiis adhibuisse vocem, σοφὸς, multis exemplis probat HEINSIUS *a*). Adlusum autem videtur ad adagium, ὑπὸ λύκου ὤφθης, *a Lupo visus es*, de illis dici solitum, qui metu alicujus obticescunt, alioquin feroces: quomodo de *Mæri* suo canit VIRGILIUS *b*):

- - - vox quoque Mærin
Jam fugit ipsa: Lupi Mærin videre priores.

Ad quæ verba observat SERVIUS, physicorum scita confirmare, lingvam obmutescere illis consvevisse, quos lupi primum vidissent, atque hinc natum esse proverbium, *Lupus in fabula*, usurpari solitum, quoties superveniat ille, de quo loquamur, nobisque sui præsentia amputet loquendi facultatem. THEOCRITUS, conversa sententia, dicit, *Cyniscam* vidisse lupum, quum dicere debuisset, illam a Lupo visam esse priorem: idque ut ludat in ambiguo vocabulo, λύκος, quod & animal notat & nomen fuit juvenis, cujus amore deperierit *Cynisca*.

§. XVIII.

Ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν.
Idyll. XIV. 43.

Quo facilius hæc sententia intelligatur, operæ pretium

a) *emend. & not. in THEOCRIT.* *b*) *Eclog. IX. v. 53.*

tium fuerit recurrere ad antecedentia, horumque cum illa conjunctionem ostendere. Docet *Æschines* suum amicum, quid in convivio accidisset, postquam præsentium quidam *Lyci* amorem *Cyniscæ* exprobrasset obliquo joco. λύκον εἶδες; Nimirum mulier, jocis jactatis & conviciis incitata, largas oculis effundere lacrimas occepit: quibus irritatus *Æschines*, verbere in miseram sæviit:

Τῆμος, (inquit ipse v. 34) ἐγὼν, τὸν ἴσης τὺ, Θυώνιχε πὺξ ἐπὶ κόῤῥας
Ἤλασα, κἄλλαν αὖτις· ἀνείρυσα δ' αὖ τὼς πέπλως,
Ἔξω ἀπόιχεο θᾶσσον.

Quos versiculos aliter a Latino interprete lectos fuisse patet ex Metaphrasi: ita enim reddit illa: *Tunc ego, quem tu nosti, Thyoniche, pugnum in faciem impegi moxque rursus alium: at illa contrahens vestes foras abiit celeriter.* Manifestum hinc est, metaphraseos auctorem, alterum secundi versiculi hemistichium ita legisse: ἀνειρύσασα δὲ πέπλως, & in sequenti versu pro ἀποιχεο legisse ἀπόιχετο. Quid ad istam confirmandam lectionem ex vetustioribus Manuscr. peti possit, exploratum nobis quidem non est; at rationem, quam ipse subministret contextus, alteri lectioni favere omni jure dixerimus. Quum enim v. 41 demum dicat *Cyniscam* dolore victam se foras proripuisse, non credere fas est bis illum ejusdem rei mentionem injecisse: id quod nec credere nos sinunt, quæ sequuntur verba, ut quæ cum præcedentibus, ἔξω ἀποίχεο θᾶσσον, ita cohæreant, ut nemini dubium esse possit, quin non illa magis quam hæc sint ipsius Æschinæ, quibus ira inflammatus uxorem a se abegerit. Quo accedit, quod metrum respuat τὸ εἰρύσασα, quum sit corripiendum. Ita ergo, nostra sententia, legas & exponas verba hæc: τῆμος ἐγὼν τὸν ἴσης, & *tunc*, nempe quum rore madentes oculos ejus conspexi, *ego quem*

tu nosti, quam sim præceps ingenio in iram, *colaphum ipsi impegi & mox alium;* ἀνείρυσα δ᾽ ἄυ τῶ πέπλως, *hinc vestimenta ipsi sursum traxi*, uti facere solent, qui aliquem e loco abstractum obstipo collo ejicere nituntur, vel *peplum discerpsi*, his additis verbis: ἔξω ἀποίχεο θᾶσσον, *proripe te foras quam citissime*, ἐμὸν κακὸν, ὄ τοι ἀρέσκω, *tu, quæ meum malum es, mea pestis & pernicies, non tibi placeo*, ἄλλος τοι γλυκίων ὑποκόλπιος, *alius tibi jucundior in sinu est*, ἄλλον ἰοῖσα θάλπε φίλον, *abi atque alium fove amicum*, τήνῳ τὰ σὰ δάκρυα μᾶλα ῥέοντι. Etiam heic hallucinari videtur Latinus interpres ita enim transfert: *illi tuæ lacrimæ pro pomis fluunt.* At quis est quin cernat, μῆλα, vel Dorice μᾶλα, non heic significare poma, sed malas, genas, ut sensus sit: *illi vel propter illum fluunt tibi lacrimæ per genas.* Quum *Æschines* hæc plenus iræ intonuisset, tum demum illa excessit,

> Ὠκύτερα μαλακᾶς ἀπὸ δίφρακος ἔδραμε τήνα
> Ἰθὺ δι᾽ ἀμφιθύρω καὶ δικλίδος, ᾇ πόδες ἆγον.

i. e. *illa celerior e molli sella cucurrit | recta per portam foresque geminas, qua pedes ducebant.* Isti narrationi subjungit verba hæcce:

> αἶνός θην λέγεταί τις· ἔβα καὶ ταῦρος ἀν᾽ ὕλαν

Proverbio quidem dicitur, abiit taurus in silvam Palam est, parœmiam usurpari ab *Æschine* de uxore, quæ plusculum temporis a marito suo secubaret, quod docent versus sequentes: at unde formata sit loquendi forma illa, e re est novisse. ARISTOTELES *c*) memoriæ prodidit tauros, quum adsit coëundi tempus, sese ad vaccas consvevisse adgregare, & communia cum illis pascua frequentare: at ubi præteriit illud tempus, secedere ab il-

la-

---

c) *L. VI. Hist. Animal.*

larum ſocietate, & ſolitarios in nemoribus & agris vagari. Iſtum taurorum ſeceſſum a vaccis exprimere ſvevere Græci Scriptores verbo, ἀτιμαγελεῖν, quod ſonat, ἀτιμάζειν ἀγέλην, ſpernere armenta, h. e. a vaccarum ſe commerciis ſegregare, & non tantum non curare coitum, ſed ne paſcuorum quidem communionem perferre. Hunc taurorum morem exiſtimavero locum dediſſe antiquioribus formandi ῥῆσιν hanc, ἔβη ταῦρος ἀν' ὕλαν, quæ nihil aliud ſonare videtur, niſi, ταῦρος ἀτιμαγελεῖ, taurus ſpernit armenta & ſecubat in ſilvis: nec adeo immerito refertur ad *Cyniſcam*, quæ deſeruiſſet maritum & per duos menſes, ut dicit in ſequentibus, ab illo ſejuncta fuisſet. Sed nec abſonum fuerit uſurpare adagium illud de quocunque, qui pertinacius ſeſe abſtineat a contubernio & ſocietate eorum, quibus antea ſamiliariter ſit uſus.

§. 19.

Μῦς γεῦετο πίσσης.

Idyll. XIV. 51.

Docuit *Æſchines* infelicem ſibi exitum habuiſſe verbera & minas, quibus conjugem ſuam perſecutus eſſet, quum illa ſe ejus conſpectui ſubtraxiſſet nec reverti vellet, atque is amoris impotens dolorem ſibi quotidie ingraveſcere ſentiret.

Κἠι (inquit v. 50.) μιν ἀποςέρξαιμι, τὰ πάντα κεν εἰς δίον ἕρποι.

Ita HEINSIO monſtrante legendum exiſtimamus verſiculum hunc, aliumque, quam quidem Latinus interpres vult, ipſi ſenſum damus. Nempe ἀποςέργειν eſſe putamus *deponere vel ejicere ex animo*, ut, ſi quis amorem alicujus expellat animo, is dicatnr ἀποςέργειν. Vide ergo quam adpoſite ad præſentem rerum ſuarum habi-

habitum loquatur *Æſchines Theocriteus*, ει ἀποςέρξαιμί μιν ſc. τὴν γυναῖκα, ſi ejicere ex animo poſſem amorem & memoriam conjugis, ſi quando ejus oblivilci poſſem, τὰ πάντα κεν εις δέον ἕρποι, omnia tunc recte ſeſe haberent. Sed non ea eſt ſors mea:

Νῦν δὲ ποθῶ. Μῦς, φαντὶ, Θεώνυχε, γεύετο πίσσας.

Nunc deſidero illum: mus, ut ajunt, picem guſtavit. Quam allegoriam alii translatam eſſe putant a mure, in pice deprehenſo atque inde ſe ægre expediente, alii a pugile Tarentino, cui parum proſpere ceſſerit certamen ad Piſam, ut in vocabulo, πίσσας, ſit adluſio ad nomen urbis Piſæ, ludorum Solemnitate celebratiſſimæ. Sed undecunque allegoriam petitam eſſe dicas, conſtat tamen illam convenire in eos, quibus experimentum aliquod parum proſpere cedat: id quod uſu venit *Æſchinæ*: quum enim ille caſtigaret uxorem, ſperans futurum, ut hac via a peregrino illam amore abſtraheret, abalienavit eam magis, iisque ſe ipſum moleſtiarum nexibus implicuit, unde extricari non facile ſe poſſe videbat. Atque hoc indicat *Æſchines* parœmiaca dictione, μῦς γέυετο πίσσας, quaſi dicat: accidit mihi, quod muri accidere ſolet, qui in picem incidit, quemadmodum enim ille aut moritur, aut vix inde eluctatur, ita ego, male tentata uxoris emendandæ ratione, maximo memet expoſui pereundi periculo, & ſi forte ex malis hisce emerſero, cautius in poſterum mercabor.

§. XX.

Χαλεπαὶ γὰρ ὁδοὶ τελέθοντι ἀοιδᾶν.

Idyll. XVI. 69.

Queritur THEOCRITUS in hoc Idyllio de iniqua Literarum ſorte, quod nullo in pretio eſſent, nec qui illis operarentur quidquam conſequerentur honoris aut gratiæ:

Χαλεπαὶ, inquit inter alia, ὁδοὶ τελέθοντι ἀοιδᾶν. *Cantatricum Muſarum viæ ſunt difficiles.* Adluſum eſſe ad

pro

proverbialem loquendi formam dicit HEINSIUS: quæ ergo illa fuerit atque unde formata, operæ pretium erit paucis perquirere. Notissimum est, quum Græcos tum Romanos maxime religiosos fuisse in Comitiorum solemnitate celebranda, ita quidem, ut si vel fulmina & tonitrua, vel alia signa animadverterentur, illico dissolveretur Ecclesia: id quod vel inprimis observatum ab Atheniensibus fuit, quoties de expeditione bellica exercitusque Duce eligendo agendum erat. Hinc Νεφέλαι apud ARISTOPHANEM *d*) eo maxime nomine jactant sua in Atheniensem populum beneficia, quod, si quam inconsulto & temere pararent expeditionem, tonitru aut grandine dirimerent ecclesiam:

- - - ἦν γαρ ἤ τις ἔξοδος
Μηδενὶ ξὺν νῷ, τοτ' ἢ βροντῶμεν ἢ ψεκάζομεν.

Quum ergo tot impedimentorum interventu facillime differrentur expeditiones, factum videtur, ut vulgo diceretur, χαλεπαὶ τῶν Ἀθηναίων ἔξοδοι. Quo respiciens *Calonice Aristophanea e*) dicit, χαλεπή τε γυναικῶν ἔξοδος, quod operosus sit mulierum adparatus, & annus interea circumagatur, dum comuntur & moliuntur. Quod si ad hanc Atheniensibus familiarem loquendi formam dixeris Poëtam respexisse, haut forte a veritate aberraveris: non enim aliud indicatum voluit, nisi Carminibus placendi artificium difficile esse multique laboris, peculiarique opus esse Jovis auxilio, si quis gratiam, quamquærat, reapse consequi velit.

§. XXI.

Ὀρνίχων φοινικολόφων τοιοίδε κυδοιμοί.

Id. XXII. 72.

Fabulæ ferunt *Amycum* Bebryciorum Principem legem tulisse, ut quicunque in ejus regionem adpelleret, is secum cestu decertaret: quum hospitum permulti, impari

ri

d) *Nub. v. 578.* *e*) *Lysistr. v. 16.*

ri cum tyranno certamine commisso, interiissent, venit eo cum Argonautis Pollux, quem more consveto ad pugnam provocat Bebrycius; nec renuit ille virium atque artis periculum facere: prius vero quam in arenam descenderet, quærit, quod præmium victoris futurum esset: respondet *Amycus*:

Σὸς μὲν ἐγὼ, Σὺ δ' ἐμὸς κεκλήσεαι, εἴ κε κρατήσω.

Tuus ego, tu vero meus vocabere, si prævaluero. Ad quæ regerit Pollux:

Ὀρνίχων φοινικολόφων τοιοίδε κυδοιμοί.

Avium rubri cristium (i. e. gallorum) talia sunt prælia. Avium atque inprimis gallorum certamina, ex antiquissimo Solonis instituto, sancita fuisse apud Athenienses, tradit LUCIANUS *f*), dicens eadem lege cautum fuisse, ut istius modi Certamini Attica juventus interesset, quo facilius ex avium exemplo, pugnantium μέχρι τῆς ἐσχάτης ἀπαγορεύσεως, *donec tandem succumbant victi*, in primis adolescentiæ annis discerent fortitudinem. Traditum autem est consvevisse gallum, si post pertinacem pugnam superetur, pudore quasi confusum tacere, atque ultro sequi victorem, quasi servituti ejus mancipatus esset. Hinc natum adagium: ἡττήθης τινὸς ἀλεκτρυόνος, *superatus es a gallo quopiam*, in servos dictum, qui Dominos a tergo sequantur: ita utique illud usurpatur ab ARISTOPHANE *g*): quum enim *Evelpis* in Comœdia quæreret τὸν τοῦ ἔποπος θεράποντα, quisnam esset, respondet hic, ὄρνις ἔγωγε δοῦλος, hinc pergit *Evelpis* scitando: ἡττήθης τινὸς ἀλεκτρυόνος; ad quæ verba observat SCHOLIASTES Græcus, adlusum esse ad morem gallorum, sequentium illos, a quibus in certamine vincantur: atque huc refert quoque *Theocriteum* hocce: ὀρνίχων φοινικολόφων &c. quasi diceret Pollux: pugna ad quam me provocas, similis erit pugnæ gallorum: quemadmodum enim gallus victus sequitur victorem, ita ex tua lege, quisquis nostrum superatus fuerit, servus erit victoris. §. XXII.

f) περὶ γυμνασίων. *g*) *in avibus v.* 70.

§. XXII.

τὸ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ.
Idyll. XXI. v. 36.

Refert *Alſphalion*, Piſcator, artis lectique ad litus ſtrati ſocio ſomnium, quod per quietem vidiſſet, ejusque ab illo interpretationem petit: quo vero id facilius a Sodali ſuo impetraret, duas adfert rationes, primo quod otio abundarent, nullo urgente labore per noctem obeundo, & deinde quod eſſet

- - - λύχνιον ἐν πρυτανείῳ
Φαντὶ γαρ αἰεν ἄγραν τόδε ἔχειν - -

In vulgatis editionibus, pleriſque legitur poſterior verſiculus hoc modo: *Φαντὶ γὰρ ἀγρυπνίαν τόδ᾽ ἔχειν.* Sed ſuboluit CASAUBONO mendum, quod ad MM. Codicum præſcriptum emendaturus, ita legendum putavit *b*)

Φαντὶ γαρ αἰεν ἄγραν τόδε ἔχειν - -

Quæ lectio non omni ex parte ſe adprobat HEINSIO; mutat ergo τὸ, ἄγραν in ἄγαν, quod vocabulum rei veritati maxime adcommodatum eſſe cenſuit. Loquitur enim piſcator de lucerna in Prytaneo Sacrata, quam ea religione coluiſſe Athenienſes conſtat, ut maximopere caverint, ne olei defectu exſtingveretur ignis. Hinc nata videtur proverbialis dicto: τὸ λύχνιον ἐν πρυτανείῳ, qua uſi ſunt, quando ſignificare voluerunt perpetuam nec deficientem unquam rerum copiam. Huc ergo ſpectare dixeris rationem, qua *Aſphalion Theocriteus* permovere voluit ſodalem ad ſomnii interpretandi officium ſibi impertiendum: non eſt cur de victu ſolicitus deneges mihi temporis moram, certam enim ſpem habemus, nos, ubi illuxerit aliquid capturos eſſe, neque magis defuturam nobis eſſe prædam, quam Lucernæ, quæ in Prytaneo ſemper ardet, deficit unquam oleum: Φάντὶ γαρ αἰεν ἄγραν τόδ᾽ ἔχειν, h. e. ſi ſequi placuerit CASAUBONI emendationem, *dicunt enim hanc maris partem eſſe admodum piſcoſam, ſemperque habere ἄγραν, capturam.* Vel ſi in partes potius concedere libuerit HEINSII; *dicunt τόδε* ſc. λύχνιον, *lucernam Prytanei ſemper habere ἄγαν, abunde* quod igni alendo ſufficiat: nam per τὸ ἄγαν ἔχειν, nihil deſignatur aliud, niſi abundantia atque opulentia. Ceterum vero locum eſſe valde obſcurum fatemur, ut ſi quis meliora nos docere voluerit, illi multam debituri ſimus gratiam.

Plures quidem parœmiacæ loquendi formæ nobis ſunt in Theocriteo opere obſervatæ, ſed, quum facultatum habere rationem cogamur, εἰκάδος hujus καὶ μονάδος finibus terminetur commentatio noſtra.

S. D. G.

Virtuti. Atque. Solertiæ.
Juvenis.
Moribus. Literisque. Probatissimi.
DOMINI. PETRI. HULTMAN.

Qui.
Prætexta. Haud. Dudum. Posita.
Mox. Palæstram. Musarum. Ingreditur.
Non. Ut. Otiosus. Spectator.
Nec. Ut. Meticulosus. Tiro.
Sed. Ceu. Promtus. Athleta.
Vires.
Aetati. Non. Animo. Superiores.
In. Arena. Academica.
Strenue. Periclitaturus.
Quo. Conatu. Vere. Pulcherrimo.
Post. Exantlatos. Feliciter. Labores.
Merenti.
Justa. Olim. Cedet. Laurea.
In. Usum. Patriæ.
Gaudium. Parentis.
Decus. Cognatorum.
Bonique. Cujusvis. Adplausum.

Columnam. Hanc.
Cum. Felicitatis. Voto.
Atque. Appensa.
Antiquæ. Amicitiæ.
Veterisque. Apud. Parentes. Hospitii.
Tessera.
Erectam. Voluit.

JOH. N STENMARK.
Comminister in Skiöldinge.

DOMINO RESPONDENTI.

En! loquitur ſat; Amice, tui, quem differis, amplas
Ingenii laudes, utilis hicce labor.
Siccine mutus ero? Cohibens num candida læti
Gaudia conticeam pectoris uſque mei?
Non decet hoc: Dare ſigna jubet per ſingula pulchræ
Conſona virtuti, quod juvat, arctus amor.
At vetat hoc pietas, igitur modo Apollinis æquos
Laurigeri fructus, & bona fata precor.

E. D. S...

